

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM

Die Jovis 20. Novembris.

M. PETRO YVELIN,

DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An ut semen materia fœtus, sic & ejusdem opifex?

I.

CUM æternâ nullâque arte declinandâ lege sancitum sit mortem ut oppetant quæcumque nascuntur animantes, earum genus omne deleretur, nisi satu se se propagarent, similiumque procreatione æternitatis quodammodo participes fierent. Inter illas plurimæ certis ex causis, quæ vulgaria latent ingenia, sponte, & sine ullo, saltem manifesto, seminis jactu suboriuntur, cujusmodi sunt vermes, erucæ, apes, vespæ, scarabæi, crabrones, & quotquot solent αὐτόματα appellari, quorum neque tanta vilitas est, ut putri è materia originem ducant, neque tanta nobilitas, ut sit aliquis Deus, à quo fingan-

tur cœlo devocandus: caloris, qualis verè eſt, temperato quodam fotu ac tepore gignuntur propriis è ſeminibus, vel paſſim ſuis aptè coëuntibus principiis extra hæc animalcula coagmentantur, vel ab ipſo mundi exordio in aëre, aquâ, terrâve ſparſa temporum ſerie evolvuntur ac prodeunt, vel demùm fiunt ex ovis à ſuæ ſpeciei viventibus ubivis relictis, quod perſpicuum in bombycibus, minùs in cæteris, quorum nec utilitas ulla eſt, nec tam facile capitur experimentum: Caſui minùs patet generatio oviparorum & viviparorum, quæ neceſſariò à ſui ſimillimis, conſpicui ſeminis interventu, procreantur.

II.

PERFECTIORA animalia ut primùm adolevêre, gignunt, habentque ſemen in ſuis reconditum loculis, abſumpto ſcilicet prægreſſæ ætatis humore ſuperfluo robur colligunt partes, pluſque ùltimi aſſumunt alimenti quàm opus ſit ut alantur & augeantur: Propterea inde quædam particulę maturorum fructuum inſtar decidunt, cùmque per meatus vi caloris dilatatos unà confluunt, partem efficiunt alteram ſeminis è ſpiritu & humore conflati. Is porrò humor πανσπερμία quædam eſt, ſeu commemoratarum particularum (quæ germana ſunt partium omnium ſemina ac rudimenta) confuſa congeries. Spiritus autem, ſeminis pars altera, apud Chimicos eſt Archeus, apud Medicos viventis formator & opifex, fortèque apud Ariſtotelem forma ſubſtantialis. Qualecunque nomen ipſi imponatur, non eſt materiæ expers ſubſtantia, non ſtellaris eſſentiæ ſcintilla, non avulſa pars ætheris, non focarius ignis, non Dei particula, non ab illâ totius mundi animâ direpta portio; ſed prætenue corpus ex ſubtiliſſimis planèque mobilibus corpuſculis ingeniosè concinnatum.

III.

SEMEN nec cerebri ſtilla eſt, nec ſpinalis medullæ defluvium, nec univerſi corporis excrementum, nec quippiam à tribus duntaxat principibus partibus, ſed ab omnibus ſinguliſque profectum. Cave tamen putes illud in plenâ jucundæ voluptatis conjunctione per cœcos ductus citiſſimè genitales ad partes currere. Ille enim humor qui ſeminis materia eſt, nullo definito tempore per minimas venas in majores delapſus, ab iiſque per cavæ truncum in cor unà cum ſanguine eò ſe referente deportatus; tùm per deſcendentem aortam, arteriaſque

ſpermaticas deductus ad teſtes, ac per eos non ſecus atque ſerum per renes, cretus, à ſanguine cui erat admixtus ſejungitur, ac demum in propria conceptacula, his qui cadavera aperuere explorata, amandatur: Pernix autem, tenuis admodumque mobilis ſpiritus in humorem ipſum per tacitas vias momento ſe induit, atque is quoties ſuccenſus effervéſcit, confeſtim ſurgit illa, quæ ferè rationis jugum excutit, coëundi libido furioſa.

IV.

SPIRITUS tunc potiſſimùm in humorem incurrit, cùm ſexus diſcreti, in illo ſolemni officio quod marem ac fœminam miſcet, mutuò ſibi blandiuntur molliùſque ſe ſe attrectant, iſtis quippe illecebris, quibus majori proluditur, is vehementer concitatus impetu fertur in pudendas partes, quas inflat diſtenditque libidine. Ita amoris œſtro perciti amantes ruunt in amplexus venereos, quos inter, partibus omnibus connitentibus, ſpiritus ſui portionem exprimunt, eamque ſemini incluſam tanto interdum delectationis ſenſu ejiciunt, ut tùm aliquid etiam de animâ exiiſſe ſibi perſuadeant; adeo in hoc ipſo ultimæ voluptatis æſtu marceſcuut & devigeſcunt, nec ſine quodam lucis detrimento. Et certè niſi huc penè amentes raperet præteritæ oblectationis recordatio, aut nunquam, aut rariùs daretur proli opera: Maſnè verò, cujus calor uberior, acriorem ſub Veneris vexillis catullitionem perſentiat, an emiſſo admiſſoque ſemine magis oblectetur fœmina, non facilè pronuntiaveris.

V.

QUEMADMODUM peractâ re venereâ, jacta hinc inde in uterum ſemina permiſcentur & in unum coaleſcunt, ſic ex amborum ſpiritibus unus fit ſpiritus, mox quidquid eſt ſubtiliorum partium ad intima ſe ſe recipit, ſuiſque coagitationibus craſſiores ac veluti ſuperfluentes elidit, & versùs molis univerſæ ſuperficiem abigit: Hæ verò, quia pariles ſunt & quodam neceſſitudinis vinculo cohærent, abeunt in membranas genituram obvoluturas. Interea incluſæ confuſæque reliquæ humoris particulæ, ob ingenitos quos obtinent motus, ita ſe ſe expediunt, ut quæ ejuſdem modi ſunt ſocietatem coëant, eumque ſibi vendicent locum ac ſitum quem tenebant partes à quibus deciſæ ſunt. Ita quæ à capite prodiêre,

conveniunt ad coagmentandum caput, quæ à pectore ad pectus, quæ à renibus ad renes, quæ ab artubus ad efformandos artus commigrant: Et rursus ex iis quæ ad caput pertinent (sit illud instar omnium) sigillatim aliquæ concurrunt ad effingendas particulas iis consimiles à quibus decerptæ sunt; ad oculum scilicet, quæ ab oculo; ad nares, quæ è naribus excidêre, &c. Istarum autem partium descriptionem, formationem, ordinemque aggreditur, promovet, & absolvit solus spiritus cohibitus in semine omnium perfectorum animantium præterquam hominis, cujus admirabilis fabricatio tantæ dignitatis est & excellentiæ, ut illa non nisi animâ duce perfici queat. Neque tamen putes spiritum illum aliquâ cognitione ductum opus suum elaborare; quoniam ex iisdem est principiis ejusdemque naturæ cum spiritu è quo defluxit, ad easdem aspirat motiones, quarum obeundarum necessitas efficit, ut nihil non certâ ratione digerat, & compingat. Partibus tandem hoc modo expressis, subtiliores spiritus extricati & corde accepti moventur expeditissimè: Crederes peculiarem suique generis ignem luce defectum, qui ut primùm accenditur, vita incipit, simul atque extinguitur, desinit.

Ergo ut semen materia fœtus, sic & ejusdem opifex.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Fabianus Perreau.	*M. Ludovicus Gallais.*	*M. Paulus Courtois, Professor Regius.*
M Edmondus Charrier.	*M. Franciscus Gouel, Scholæ Professor.*	*M. Guillelmus Petit.*
M. Raphaël Maurin.	*M. Petrus Cressé.*	*M. Rolandus Merlet.*

Proponebat Lutetiæ GUILLELMUS LAMY, Constantiensis, A. R. S. H. MDCLXX.

PARISIIS,

Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis & Illustrissimi Archiepiscopi Typographi, viâ Citharæ.